

strinæ , itemque Patavinæ ad Medoaci in oppidum influxum præfecturas , alteris per annos quindecim , alteris quoad eorum major natu viveret , & uni virgini dotem civitas dono dedit . Reliquis triremium præfectis , qui Methone capti eodem impetu fuerant , seque pecunia redemerant , Alessandro Gotio Corcyrensi , in ea insula magistratus : Nicolao Cucaro Hydruntino , in sua urbe item magistratus , & auri libra unciæque septem annuæ ; Jacobo Balbo Parense , auri itidem libra unciæque . Item singulis omnium tributorum immunitas attributa : præmia insuper in complures vivos , qui se fortiter atque amanter gesserant , ex Pisauri literis honorifice collata : dataque lectis ad id magistratibus cura , ut Methonenium , quibus quidem aut parentes aut fratres , aut liberi pro republica interfecti fuissent , qui Venetas venissent , causas cognoscerent , deque eis ad Patres referrent , ut pro cujusque incommodis & jacturis a Senatu sarcirentur , aut omnino sublevarentur . Latum præterea de Naupliis , ut eis , bello confecto , immunitas per annos decem concedetur : domusque eorum , quas ipsi dirui permisissent , ut oppidum communius fieret , reipublicæ pecunia restituerentur .

Iis rebus domi forisque administratis , Cæsar Alexandri filius , cui paulo ante a republica petente patre cum jure comitiorum civitas data fuerat , puellam ex Elisabetæ Mettaurense reginæ famulatu , ad Carratum reipublicæ militibus præfectum , cui erat nuptui tradita , proficiscensem , medio inter Ariminum Ravennamque itinere , misfis Cesena suis equitibus , vi rapuit , comitatu ejus pulso , vulneratis compluribus . Ejus ille oppidi paucis ante mensibus regnum obtinuerat , Alessandro tradente , tum Pisauri atque Arimini republica ægre illa quidem , quod ad Ariminum attinet , ac pene subinuita , sed tamen ut perpetuis Alessandi postulatis precibusque satis fieret , una cum Aloisio rege Gallæ , qui suas ei copias iterum dederat , annuente atque permittente . Ea erat puella miræ pulchritudinis . itaque amore incensus adolescens , cum pretio aut preciis assequi se se posse nihil videret , sumptis a novo regno ani-